

## A

### ANT. AD INTROITUM

Ps 26, 14

Exspécta Dóminum, viríliter age;  
et confortétur cor tuum, et sústine Dóminum. (T.P. Allelúia.)

### COLLECTA

Omnípotens sempitérne Deus, fervens humáni cordis desidérium, † réspice benígnus pópulum tuum per hoc grátiae tempus peregrinántem, \* ut, Christo refúgio salútis suæ coniúctus, ad beátæ spei finem feliciter adveníre possit. Per Dóminum.

### SUPER OBLATA

Oblatiónes famíliæ tuæ, quæsumus, Dómine, súscipe miserátus, † ut, sub tuæ protectiόνis auxilió, \* et colláta non perdat, et ad ætérna dona pervéniat. Per Christum.

### PRÆFATIO

#### Christus, spes unica

- ℣. Dóminus vobíscum.  
℞. Et cum spírítu tuo.  
℣. Sursum corda.  
℞. Habémus ad Dóminum.  
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.  
℞. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere: Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus: Hoc témpore grátiae, filios tuos in unam famíliam cóngregas, ut, vitæ Verbo illustráti, mystérium Fílii tui crucifíxi et resurgéntis summo gáudio célebrent.

Ipse, salus semper imploráta sempérque exspectáta, omnes ad mensam suam vocat, córporis ac spírítus vúlnera sanat, contristátis lætítiam donat. Propter hæc ómnia benevoléntiæ tuæ signa, viva fide ad certiórem spem renáscimur et nosmetípsos frátribus offérimus effíací dilectiόνem, Dóminum, donec véniat, præstolántes.

Per quem, cum Angelis et ómnibus Sanctis, hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus ...

ANT. AD COMMUNIONEM

Cf. Lc 4, 18. 19

Spíritus Dómini super me; evangelizáre paupéribus misit me, et prædicáre annum Dómini accéptum. (T.P. Allelúia.)

POST COMMUNIONEM

Deus, qui nos uno pane réficis et única spe susténtas, tua nos páriter grátia corróbora, †  
ut, facti unum in Christo corpus et unus spiritus, \* ad glóriam cum ipso resurgámus. Qui  
vivit et regnat in sæcula sæculórum.

BENEDICTIO SOLLEMNIS

Benedícat vobis Dóminus, et custódiat vos.

℞. Amen.

Illúminet fáciem suam super vos,  
et misereátur vestri.

℞. Amen.

Convértat vultum suum ad vos,  
et donet vobis suam pacem.

℞. Amen.

Et benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, + et Spíritus Sancti, descéndat super vos  
et máneat semper.

℞. Amen.

B

ANT. AD INTROITUM

Ps 89, 1-2

Dómine, refúgium factus es nobis a generatióne et progénie; a sæculo, et in sæculum tu  
es. (T.P. Allelúia.)

COLLECTA

Deus, qui in plenitúdine témporum Fílium tuum in mundum misisti Salvatórem, †  
concéde, quæsumus, \* ut in hoc sæculo peregrinántes lux paschális eius mystérii ad te,  
única spem nostram, ducat. Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Quæ tuis altáribus exhibémus, Dómine, hunc annum sanctum lætánter celebrántes, †  
sint tibi múnera accépta, ut ipsíus æternitátis mereámur esse consórtes, \* qui  
mortalitátem nostram sua mortalitáte curávit, Iesus Christus, Dóminus noster. Qui vivit.

## PRÆFATIO

### Christus, spes vera

- ℣. Dóminus vobíscum.  
℞. Et cum spírítu tuo.  
℣. Sursum corda.  
℞. Habémus ad Dóminum.  
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.  
℞. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere: Dómine, sancte Pater, omnipotens ætérne Deus: per Christum Dóminum nostrum.

Qui Fílius tuus, ante sácula génitus, natus est in témpore de María Vírgine, et a Spírítu Sancto unctus, in nómine tuo annum grátia prædicávit: consolatióne miseris, captívis redemptiόne, toti dénique humano géneri salutem et pacem. Ipse enim única est spes vera quæ ómnium excédens exspectatiόne, univérsa sácula irrádiat.

Et ídeo, cum Angelis et Sanctis univérsis, te collaudámus, sine fine dicétes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus ...

## ANT. AD COMMUNIONEM

Tit 2, 12-13

Iuste et pie vivámus in hoc sáculo,  
exspectántes beátam spem et advéntum glóriæ magni Dei. (T.P. Allelúia.)

## POST COMMUNIONEM

Sanctíficet nos, quæsumus, Dómine,  
mensa tua participátio, et præsta,  
ut, quam Unigénitus tuus in cruce operátus est salutem,  
omnes gentes per Ecclésiæ tuæ sacraméntum gratánte accípiant.  
Per Christum.

## ORATIO SUPER POPULUM

Adésto, Dómine, supplicibus tuis  
et spem suam in tua misericórdia collocántes tuére propítius,  
ut in sancta conversatióne tibi fidéles permáneant,  
et, consequétes sufficiétiám temporálem,  
promissiόnis tuæ perficiántur herédes in ætérnum.  
Per Christum.

℞. Amen.

Et benedictio Dei omnipotentis,  
Patris, et Filii, + et Spiritus Sancti,  
descendat super vos et maneat semper.

℞. Amen.

C

ANT. AD INTROITUM

Tit 3, 5.7

Deus salvos nos fecit per lavacrum regenerationis  
et renovationis Spiritus Sancti,  
iustificati gratia ipsius  
heredes simus secundum spem vitae aeternae.

(T.P. Alleluia.)

COLLECTA

Deus, qui humano generi per Filium Unigenitum  
et salutis remedium et vitae aeternae donum contulisti,  
concede omnibus in ipso renatis  
et velle quae praecipis et posse,  
ut populus ad regnum tuum vocatus  
sit in fide stabilis, spe gaudens, et in caritate efficax.  
Per Dominum.

SUPER OBLATA

Respice, Domine, in faciem Christi tui,  
unica spes nostra,  
qui pro omnibus redemptionem tradidit semetipsum,  
ut per eum ab ortu solis usque ad occasum  
nomen tuum magnificetur in gentibus,  
et una ubique maiestati tuae exhibeatur oblatio.  
Per Christum.

PRÆFATIO

Christus, Deus et homo, Salvator omnium

℣. Dominus vobiscum.

℞. Et cum spiritu tuo.

℣. Sursum corda.

℞. Habemus ad Dominum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

℞. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutäre,  
nos tibi semper et ubique grätias ágere:  
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:  
per Christum Dóminum nostrum.

In ipso enim promissiones tuæ véteres adimpléntur,  
umbra cedit lúmini,  
mundus iam renovátur,  
et homo nova fit creatúra.

Per oblatiónem sui semel in cruce factam,  
fílios tuos, qui erant dispérsi,  
vóluit in unum congregáre;  
et exaltátus in glória, primogénitus in multis frátribus,  
spem ætérni gáudii nobis pandit.

Unde et nos, Dómine, cum Angelis et Sanctis univérsis,  
tibi confitémur, in exsultatióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus ...

#### ANT. AD COMMUNIONEM

Mt 28, 20

Ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus,  
dicit Dóminus,  
usque ad consummationem sáeculi. (T.P. Allelúia.)

#### POST COMMUNIONEM

Cælésti pane roboráti, quæsumus, Dómine,  
ut, Evangélio vitæ iúgiter adhæréndo,  
ferméntum vivíficans  
et salutis instruméntum humáno efficiámur consórtio.  
Per Christum.

**BENEDICTIO SOLLEMNIS**

Pax Dei, quæ exsúperat omnem sensum,  
custódiat corda vestra et intellegéntias vestras  
in sciéntia et caritáte Dei, et Fílii sui,  
Dómini nostri Iesu Christi.

℞. Amen.

Et benedíctio Dei omnipoténtis,  
Patris, et Fílii, + et Spíritus Sancti,  
descéndat super vos et máneat semper.

℞. Amen.

## LECTIONES PRO LITURGIA VERBI

### LECTIO I

**Is 61**, 1-3a. 6a. 8b-9

*Unxit me Dominus et evangelizare pauperibus misit me, et dare eis oleum gaudii.*

Spiritus Domini Dei super me ... 3 *usque ad* spiritu maeroris. 6 *usque ad* dicetur vobis.

8 Dabo opus eorum ...

*vel*

**Rm 5**, 5-11

*Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris.*

Fratres: Spes non confundit ...

### PSALMUS RESPONSORIALIS

**Ps 88**, 21-22. 25 et 27

**℟.** (cf. 2a): Misericordias tuas, Domine, in æternum cantabo.

### VERSUS ANTE EVANGELIUM

Cf. **Lc 4**, 18: Spiritus Domini super me;  
evangelizare pauperibus misit me.

### EVANGELIUM

**Lc 4**, 16-21

*Misit me praedicare annum Domini acceptum*

In illo tempore: Venit Iesus Nazareth ...